



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Vita Caelestini Papae V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

CONCILIVM  
ASCHAFFENBURGENSE  
PROVINCIALE SVB PRÆSIDIO  
Gerardi Moguntini archiepiscopi celebratum anno  
Domini MCCXCII. post obitum Nicolai papæ quarti,  
tempore interregni pontificii.

N O T A

<sup>3</sup> Concilium. ] De hoc Concilio ita Thitemius in chronico Hirsaugensi: *Anno prescripto Gerardus archiepiscopus Moguntinus Synodum provinciale suffraganeis & prelatis suis in Aschaffenburg celebrandam indixit, ubi conuenerunt episcopi Eistetenensis, Spirensis, Augustensis, Heribolensis, Bambergensis, Hildesheimensis, & Wormatiensis, cum aliis multis abbatibus, propositis, decanis atque presbyteris, qui multa & varia in negotiis ecclesiasticis utilia statuerunt.*

V I T A

CÆLESTINI PAPÆ V.

CÆLESTINVS V. anachoreta, Eserninus, Petrus Mocroneus ante dictus, qui in monte Maiella non procul a Sulmone solitariam vitam agebat, vir sanctissimæ conuersationis, a quo Cælestinorum ordo sumpsit initium, post interregnum biennii & quatuor mensium diuina tandem ordinazione in papam electus est Nonis Iulii, anno 1294. tempore Adolphi imperatoris: ut Perusium proficeretur cardinales suaserant, verum, quia aliam Caroli regis sciebat esse voluntatem, Aquilam se conuertit: vbi receptus & coronatus est, incredibili hominum frequentia propter rei nouitatem eodem confluente. Cardinales duodecim creavit, homines maximi meriti, inter quos duo eremita fuerunt. Verum cum & propter oneris magnitudinem & rerum inexperientiam parum idoneus huic fastigio sibi ipsi videretur, abdicare se magistratu constituerat. Adeo namque facilis & benignus erat, ut nihil unquam ulli petenti recusaret, & quandoque duabus idem annueret. Quod abdicationis consilium tam vehementer urgebat & promouebat cardinalis Caietanus,

Concil. Tom. 28.

Qqqq

vt tametsi Carolus rex Neapolim secum perduxisset Cælestimum, quo illum de ea sententia dimoueret, ille tandem sexto sui pontificatus mense propria sponte sua dignitati cederet. Ad solitudinem excusso onere rediens, successoris mandato in arcem Fumonis coniectus est, vbi mœrore animi coniectus XIV. Kalendas Iulii obiit. A Clemente V. in sanctorum numerum propter miracula relatustus est. *Hæc Platina & Trithemius.* Pergratum fuerit lectori, si quæ de hoc pontifice scriptor huius temporis Eberhardus refert in annalibus anno 1290. hic subiungam. Mortuo, inquit, Nicolao IV. vacauit sedes apostolica propter discordiam cardinaliū plusquam tribus annis, & tandem idem cardinales, vt creditur, nutu diuino concordauerunt in quemdam virum rectum & religiosum, qui in cella sua per quadraginta annos & amplius sub regula B. Benedicti strenue vixerat, qui electus Cælestinus est vocatus: & cum educeretur e cella, nullum equum tunc & etiam postea ascendere voluit, sed tantum asellum, exemplo Domini venientis Hierosolymam, equitauit. In via etiam transiendo Dominus per eum multa miracula fecit; qui licet mira sanctitatis existeret, tamen adeo simplex erat, quod potentibus concedenda & non concedenda concessit. Et cum consideraret quod consuetum silentium & abstinentiam, quæ in clauistro seruauerat, propter intolerabilem rerum curam tenere non potuit in papatu, renuntiare eidem præsulatu cogitauit: & cum sapientum esset opinio, quod papa non posset cedere, talem constitutionem edidit, quod papæ possint cedere tam præsens quam futuri; dicens quod de plenitudine potestatis eamdem constitutionem facere bene posset. Qua facta, statim cessit, & electus est post ipsum Benedictus cardinalis, qui vocatus est Bonifacius, qui statim post creationem suam omnes gratias & concessiones, quas prædecessor suus fecerat, reuocauit: & omnis populus propter evidentem sanctitatem prædictum Cælestinum libenter habuisset pro papa, sed dominus Bonifacius ipsum reclusit, ne schismá fieret, si a populo raperetur. Post autem duos annos idem Cælestinus mortuus est, & dicitur quod Dominus per eum multa miracula operetur, & sepultus est in monasterio sancti Antonii Ferentini.